I. N. J.

PERMISSU

AMPLISSIMI JCTORUM ORDINIS

In Academia Lipsiensi

ad

Ventilationem

DISPUTATIONUM XI. SCHNOBELIANARUM

feudalium

ab

infra nominatis suscipiendam

Nobilissimos Juris Studiosos

amanter invitat

ANDREAS MYLIUS, J. U. D. & P. P.

LIPSIÆ,
Literis CHRISTIANI BANCKMANNI.

Non heri aut nudius tertius, sed jamdiu inter Doctores acris fere & ingens extitit contentio, an in jure Romano antinomiæ dentur? Affirmantium sententiæ qvi subscribunt, ex ipsâ hujus juris compilatione confirmationem petunt. Erat enim tanta legum multitudo, qvæ in librorum duo millia, versuum autem trecies centena millia extendebatur. Const. *Omnem.* §. *1. de Concept. Digest.* qvæqve postea cum variis Imperatorum Constitutionibus septem annorum spatio collecta, & in certa volumina sunt redacta. Qvis autem sibi persvaderi patietur, tam angusto tempore, ex tanto librorum juris numero, non aliqva contraria, incuriâ irrepsisse, præsertim qvod memoria hominum sit labilis, *l. 44. ff. de acqvirend. vel amitt. possessione.* indeqve facile qvid excidere possit. Const. *Tanta.* §. *14. de Confirmat. Digest.* Et qvamvis Imperator Justinianus in dicta Const. *Tanta.* §. *15.* fateatur: **Contrarium hic nullum sibi locum vindicare, nec inveniri**, eidem tamen tanqvam testi in propriâ causâ fidem non esse habendam volunt. *l. 10. ff. de test. l. 10. C. cod.* Cujac. *in not. ad Tit. Inst. de Legat.* Unde multa & innumera fere juris loca inter se pugnantia allegant, uti inprimis videre licet apud Anton. Matth. *Disput. IX. de Antinom. jur.* qvem in Disputationibus suis ad Pandectas, Johannes Jacobus Wissenbachius passim seqvitur. Verum his non obstantibus, negativam veriorem esse existimamus, idqve partim ob mandatum Imperatoris in Const. *Deo authore.* §. *8. de Concept. Digest.* de jure in concordantiam redigendo emissum, partim ob ejus expeditionem â compilatoribus laudabiliter consummatam Const. *Dedit nobis. pr. &* §. *9. de Confirm. Digest.* partim deniqve, qvod nullum tale exemplum ex Romano jure adduci possit, qvod veram sapiat contrarietatem. Alciat. *lib. 6. Parerg. cap. 14.* Nec movent argumenta in contrarium allata. Licet enim immensum compilatorum juris laborem non diffiteamur, eundem tamen tantum non fuisse arbitramur, ut tot & tantorum virorum prudentissimorum, & in ipsis rerum experimentis, & in eloqventiâ, &

in

in legibus ſcribendis ſatis ſpectatorum vires exceſſerit. Selegit qvippe Imperator juris peritiſſimos d. Conſt. *Dedit nobis. §. 9. de Confirm. Digeſt.* qvi omnes una cum Imperatore d. Conſt. *Tanta, §. 15. de Confirm. ff.* præſumptione operis rite compoſiti ſunt muniti, donec aliud à contradicentibus ſufficientiſſimè fuerit probatū. Et qvidni aſſerto Imperatoris in causâ publica, leges à ſe compoſitas & promulgatas concernente, fidem faciamus? Demus etiam, loca qvædam videri contraria, attamen per juſtam interpretationem ſubveniendum eſt. Eſt nimirum ſæpè novum inventum, vel occultè poſitum, qvod diſſonantiæ qverelam diſſolvit. Inqvirendæ igitur ſunt diverſitatis rationes d. Conſt. *Tanta. §. 23. de Confirm. Digeſt.* Nonnunqvam enim qvædam videntur contraria, qvæ ſolùm ſunt diverſa. Exiſtimo, inqvit Garz. *Tr. de Expenſis. cap. 23. n. 15. in fin.* antinomiæ nomen illa reſponſa mereri, qvæ eandem habent facti ſpeciem, perſonarum eaſdem circumſtantias, eaſdem temporis locive qvalitates, eaſdem juris rationes; Qvod ſi diverſum argumentum ſit, aliæ perſonæ, alia juris ratio, diverſa non contraria dicam. Etiamſi vulgus contraria vocet, & appellet, qvicqvid qvocunqve modo diſſideat, ego ſanè factum, perſonas, locum, tempus, jusqve aſpicio in utroqve reſponſo, ſi qvando antinomiam inqviro. Hæc de juris civilis concordantia. An verò idem de feudali jure aſſerendum ſit, non eſt concors omnium Dd. ſententia. Plurimi eorum non omninò à contrarietate illud excuſari poſſe exiſtimant. Qvem enim latet, ex vario jure, veluti Conſtitutionibus principum, Conſvetudinibus Mediolanenſium, & aliarum Italiæ urbium, nec non variorum JCtorum Reſponſis ſine ordine fuiſſe collectum? Cujus compilator eſt planè incertus, incertaqve multorum juris feudalis textuū, contraria in uno eodemqve capite ſubinde continentium, declaratio. Vid. Roſenthal. *de feud. cap. 10. Concl. 42. n. 39.* & inprimis Hotomann. *in præfat. de feud.* qvi multa contraria & pugnantia ibi oſtendit. Qvæ ipſa in causâ fuerunt, ut etiam magni nominis JCti omnem planè authoritatem huic juri denegaverint. Hoſtienſ. *in Summ. X. de Immunit. Eccleſ.* Fach. *7. Contr. 2.* Sed tantum abeſt, ut prædictis moveamur, qvin potius dicendum, etiam feudale jus ubiqve (niſi excipere velis extraordinaria capita) benè concordare, & apparen-

parenter contraria, legitimâ explicatione adhibitâ, facilè dilui posse. Vid. Arum. *Exerc. feud. 1. th. 1.* Ludw. *Synopſ. jur. feud. cap. 1.* prouti conflictus seqventium disputationum à Joachimo Schnobelio, Antecessore olim Rostochiensi, postea Syndico Stetinensi gravissimo, concinnatarum, Vobis dabit, cui aliqvot adolescentum nobilissimorum, ut circa textus & controversias feudales vires qvoqve suas experiantur, sese committere decreverunt. Cum enim illi omnes ingenii sui nervos intenderint hactenus, ut Juris civilis cognitionem acciperent plenissimè, eamqve in rem non modo privatâ uterentur institutione, sed & ejus rei publica & erudita sæpè darent specimina, ad ipsorum, in legibus & diversis Doctorum opinionibus conciliandis, promptitudinem indicandam sufficientissima; noluerunt tamen hic filum abrumpere, sed longius progressi, etiam feudali juri operam dare, & qvæ privato studio benè apprehensa, postea publicis maluerunt exhibere velitationibus, ut constaret omnibus, utriqve juri se ita dedisse operam, ut textus ubiqve occurrentes & discordantes in concordiam redigere, rationes diversitatis invenire, & de inventis optime judicare qveant. Habebunt verò disputationes per sortem hoc ordine:

DN. JOHAN. GOTHOFREDUS Röſner / Frauenstad. Polon. I. XI.
DN. George Gottfried Gey / Torgâ Misn. II.
DN. JOH. HEINRICUS Schindler / Schneeb. Misn. III.
DN. GEORGIUS Breuer / Zitta Lusat. IV. IX.
DN. CONRAD Stieglitz / Mutinens. Misn. V.
DN. MICHAEL Büring / Lipsiens. VI.
DN. Georg Andreas Conradi / Zwickav. VII.
DN. HEINRICUS Becker / Lipsiens. VIII.
DN. CAROLUS ADAMUS Schrey / Skeudiz. Misn. X.

Eundem hic modum, qvem in superioribus exercitiis adhibuimus, observabimus, nempe ut omnes & Respondentium & Opponentium vices sustineant. Vestrûm verò erit, Nobilissimi Dn. Studiosi, eâ, qva hactenus consvevistis freqventia, præsentibus exercitiis interesse. Ita enim fiet, ut vestra opera laborem nostrum & labor noster vestram allevet operam.

P. P. Lips. d. 5. Aug. 1683.